QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVII. IANVARII,

M. PETRO YVELIN Doctore Medico Moderatore.

829

An nephriticis à calculo λίθων θρυπτικά?

RENES, inter partes corporis humani minimè ignobiles, ſtructurâ, & artificio m... li ſupra vulgi fidem inſignes; quorum quidem integritas & εὐπραγία, vt ad vitæ incolumitatem non parùm confert, ſic labes ſi lateat & foueatur vel perexigua, innumero... morborum ferax; ad corporis ἰσορροπίαν gemini germani, & ἀδελφίξιος iure fruentes, figuram referunt phaſeoli, alterâ parte gibbi, alterâ ſimi, & retorti, vincti duplici tunicâ perito... ſobole, quâ vndique veſtiuntur; vtrinq; venæ cauæ lateribus, ſpinæ lumborum muſculis quos ψόας Græci vocant, adiacent. Dexter inuitâ antiquitate depreſſior, raró elatior cernitur, ... ſiniſter; ambo multâ obducuntur pinguedine, quæ ſi exuperat damno eſt: præſtat ad ſalutem vt maneant macilentiores. Nec abs re ad robur, & ſecuritatem denſâ carne, ac ſolid... donati ſunt: venas habent & arterias ab officio dictas emulgentes, neruos quoque à ſexti paris ramo ſtomachico oriundos ſenſum ſatis exquiſitum tam membranæ eorum quàm ... ſtantiæ impertientes: nec non pauló dilutiore rubore carunculas papillarum æmulas, eáſque anguſtis foraminibus tanquam cuniculis peruias, quarum ope quicquid prolicitur ..., ſenſim percolatur, & πόρος οὐρήσιν per ductus vrinarios ſtillat in veſicam.

NVLLIVS morbi immunes ſunt renes: omnis generis intemperie afficiuntur, mo... o organico, & ſolutione continui. Rarus affectus diabetes, in quo quinque hæc vt plurimùm concurrunt, æſtus ingens, ſitis inexhauſta, aſſidua mictio, vrina potui concolor, & ta... dem corporis vniuerſi colliquatio, plerúmque cùm inueterauit inſedítque altiùs, ſpem omnem, & opem Medici eludit. Nihil frequentius anguſtiâ, quâ ſeri ſuperflui ſecretio, excretióue ... rorſus intercipitur: fit autem vel ſubſidentiâ, qualis occurrit in ſenili ætate, in malignis, & purpuratis febribus: vel compreſſione, vt in φλεγμονῇ συστροφικῇ: vel obſtructione, qualem obſe... are licet in grumo ſanguinis, vermibus, pure, lentis craſſiſque humoribus, & in nephritide à calculo.

NEPHRITIS, infidum & contumax malum, ætate noſtrâ quàm olim, ſenibus ... quàm pueris familiarius, propriè eſt inflammatio renum, etiam citrà calculum, ſed & ad τῶν λίθων σύναγμα extenditur: cum lapillus ex multis arenulis (non ſemper certis vbi cum vrin... prodeunt calculorum teſtibus) adhæſu fœculenti ſucci, viſcidi, ſalſi, à calore intenſo, remiſſo, calculosâ διαθέσει fortè per traducem ab inſitâ ſeminibus exuſtione propagatâ, creſcit, & ... concreſcit, præſertim ſi praua, & intemperans viuendi ratio cruditatis mater acceſſerit. Certè ſaxi fodinam non malè dixeris hominis corpus. Quæ pars in ipſo expers calculi? in ce... bro, dentibus, faucibus, pulmonibus, folliculo fellis, iecore, liene, inteſtinis, vtero, articulis, ſed multò crebriùs in renibus, & veſicâ procreatur. Si quieſcit, ad lumbos grauitatis ſenſus perc... pitur. Verùm, quia virtus interior laceſſitur & iuſto arctior eſt meatus in renibus, & vreteribus, ſi concutitur, vel leuiter loco mouetur, facilè ſuo attritu diuellit ipſos, exulcerat, dolo... res atrociſſimos colicum affectum mentientes, nauſeam frequentem, vomitum, ἀποσιτίαν, torporem cruris & teſticuli retractionem è directò, crebram, ægrámque vrinæ primùm tenu... & aquoſæ, poſtea ſanguinolentæ, purulentæ, fœdæ, fœtidæque excretionem, erraticos rigores, extremorum frigus, ἐφιδρώσεις, tabem renalem, à refluxu autem ſeri, hydropem, κῶμα vtrumque, apoplexiam, epilepſiam, & mille alia detrimenta accerſit.

LVDVNT operam, imò lædunt, & carnificinam exercent, qui ingraueſcente nephritide, in ingenti viſcerum æſtu, clamoſo cruciatu, audent præſcribere diuretica, & quæ falsò creduntur λίθων θρυπτικά; hæc autem non alia eſſe conſtat quàm ficta, commentitia, nulliſque aut ſanè vix effatu dignis pollere viribus, niſi validis iuuentur, & acuantur diureticis: quæ tamen vt calore, & acrimoniâ vincunt non mediocri, vt accendunt ſanguinem, ipſ... mque fundunt more coaguli, & vbertim ſoluunt in acre ſerum, quod verò remanet craſſius cogunt, excoquunt: ita partes quas primùm ambire, & ſubire ſolent, vt ventriculum, vrunt, vellicant, erodunt, vndè vehemens cardiogmos: vel inteſtina excoriant, vndè ſæua ventris tormina ſæpiùs funeſta: vel deniq; renes ipſos feriunt, inflammant, vnde dyſuriæ, iſchuriæ, νεφρίτις. Luculento ſit exemplo filius Theophorbi, qui epoto acri diuretico, intrà trium dierum ſpatium crudeliter periit. Adde quod, actio eiuſmodi remediorum non niſi per contactum, & moram perficitur: &, vt vires exerant ſuas, frangántque, & comminuant calculum, debent parti ad quam tranſmittuntur aliquamdiu adhærere: at vix in renibus moram trahunt, mom... nto effluunt. Quid ſperandum cùm lapides grandiuſculi, & iam ſiliceâ duritie prædici, in renum cauo vel in ipsâ eorundem ſubſtantiâ impacti deliteſcunt, totámque renum carnem di... endunt, contundunt? At longè ante cum alijs delata, & diluta in tranſitu excrementis vires ſuas poſuerunt, quàm ad diſſitos renum receſſus peruenerint. Ampliùs, quod cladem & luctum geminat, eſt ſeroſæ acriſque materiæ vndique confluentis ad partes iam affectas, ac pene effœtas attractio, multùm inde adaucta dolorum acerbitas, & periculum maius.

ILLA præferri debent, & tutò vſurpari, quæ ſine caloris febrilis incremento, & co... poris humorúmue perturbatione, dolores demulcent, leniunt, ſuccos acriores contemperant, molem calculi non adaugent. Parca, & exacta victus ratio, refrigerans, impensè humecta... s, & citrà calorem aperiens primas tenet: clyſteres blandi ex emollientibus in ſero lactis parati, & minore copiâ ſubinde repetiti ad inſtar fotus bellè conferunt. Phlebotomia inflamm... tioni reſtinguendæ, & doloribus ſedandis præclarè κατέπαφαίρεσιν, partim è cubito, partim malleolo conſulitur: purgatio frequens, & blanda per ἐπίκρασιν balneum aquæ dulcis, ὑπνωτικά, ... cucurbitulæ ſecundùm vreteris ductum admotæ, lac aſinæ, ſerum lactis defœcatum, quies, motus: poſtremò quicquid eſt εὐμενὲς, præſtátque ea quæ per vocem ἀπαλύναι, intellexit Hippocra... s, vehementer commendatur. Nam reliqua omnia vt ignota, fallacia, & periculi plena, vt ſigilla Magica, lapides Iudaicum, nephriticum, ſanguinem hircinum, confectiones ex vitro, aſellos, lumbricos terreſtres, lepores crematos, cicadas, gaiacum, aliáque id genus arcanorum ſomnia longè faceſſere iubemus: item quæ circumferuntur chymica, ſpiritus vitrioli, ſulph... ris, ſalis &c. vt enim calore pollent non vulgari, verè fuſoria ſunt, & colliquantia, infeſta prorſus, & nephritidis curationi infauſta remedia, vt ijs eius ſortis reddatur illa immanior, ... tandem in exitium ineuitabile præcipitet.

Non ergo nephriticis à calc... λίθων θρυπτικά.

271.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS GVERIN, Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Sebaſtianus Rainſſant.	*M. Cyp... us Hubaut.*	*M. Antonius le Rat.*
M. Petrus Guenaut.	*M. G... Patin.*	*M. Dionyſius le Soubs.*
M. Nicolaus Brayer.	*M. Iac... Theuart.*	*M. Bartholomæus Baralis Med. Reg.*